



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1558. usque ad annum 1560

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 90118588

§. 36. Gallorum molimina de Turnonio Cardinale in Papam eligendo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66800](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66800)

Sæcul. XVI.
A. C. 1559. tionis nuper factæ memores esse jubebat, necnon illos summis precibus ad promissorum executionem urgebat: verum irrita erant illius molimina, quinimo ipse Pisanus Cardinalis, qui Cornarum Nepotem suum rerum experientia, agendi que ratione superabat, illum rogabat, ut a cæpto proposito desisteret, nec quicquam ultra hac in re moveret, cum de prospero conatus sui exitu conclamatum esse cerneret.

§. XXXVI.

Gallorum molimina de Turnonio Cardinale in Papam eligendo.

Interim Galli Turnonium Cardinalem ad Pontificatum evehere totis viribus nitebantur. Hic ad sacra comitia iturus, tum in itinere constitutus erat, atque aliunde omnibus iis præfulgebat dotibus, quibus inter suos æquales certe primas tenere credebatur: id tamen unicum Gallorum consiliis obesse videbatur, quod Itali vererentur, ne is, utpote natione Gallus Sancti Petri Cathedram rursus Avenionem transferret: hoc tamen ipsum obstaculum jam satis submoveri existimabant, si Turnonium ob raras animi sui prærogativas apud Franciæ Regem, a quo primus creabatur Minister, magnam nominis famam sibi conciliaffe jactitarent. Enimvero hæ

hæ ipsæ rationes tantopere Cardinalibus probabantur, ut Galli de viginti quatuor Cardinalium suffragiis certi essent, atque ex Cæsareis adhuc quatuor, vel quinque accessuros sperarent, si forte ad eam electionis normam, quæ vulgo accessus appellatur, progredi oporteret: equidem tam secundum electionis successum sibi pollicebantur Gallum ob propria Turnonii Cardinalis merita omnibus nota, tum ob dexteritatem illorum, qui hoc negotium in ejus favorem promovebant: quinimo firmum, fixumque habebant, quod tunc, si forte hac via consilii sui exitum obtinere non possent, quinque alios Cardinales, qui sua ferre suffragia polliciti sunt, ad accessum sollicitare vellent, hacque ratione felici successu frustrari haud timerent: Attamen cum ex illis quinque, qui antea suam eis fidem obstrinxerant, primos quatuor ad hoc obsequii genus minus promptos cernerent, sua Cæsareis consilia manifestare minime audebant, veriti, ne Turnonii Cardinalis honorem in discrimen adducerent, quam ob causam rursus hoc negotium suo caruit successu.

§. XXXVII.

*Ad Pontificatum adspirantium
nomina.*

Hist. Eccles. Tom. XLIII. X In-

Sæcul. XVI.

A.C. 1559.